



## LECTORI SALVTEM.

**V**ARIIS autoribus, & usu artium magistro, ductu methodi scientijs informandis attributæ, lector beneuole, **A**LCHÉMIAE præcepta in vnum opus congeffi, ad quod ipsum tum alia me impulerunt multa, tum potissimum vt studijs iuuentutis hac quoque sciendi parte prodessem. In reliquis disciplinis quantoperè est elaboratum? Omnibus neruis summi contenderunt artifices, vt quàm absolutissimæ extarent, suaq; mundum vtilitate adiuuarent: Chymia sola inexculta magna ex parte iacuit. Refert Aristoteles suo tempore Dialecticam in exemplis potius quàm præceptis hæsisse. De Chymia idem si pronuncias, non erras. Exemplis operationum nullus non scatet angulus: singularia vbiuis prostant, & in abditis partim latitant. Catholica silent, nec est amussis ad quam reuocari singularitates & iudicari queant. Itaque euenit, vt cum plures eiuidem rei extent formulæ, non sit promptum iudicare, nec ad quod caput artis pertineant, quoue nomine sint appellandæ, nec quàm legitimè sint descriptæ. Quin & si fors rei singularis non extet peculiaris elaboratio, hoc euenit mali, vt aut ignorare, sicq; intermittere cogaris præparationem, aut ad dubium exemplar respicere, & calceum ex intuitu calcei, non è præceptis formare, aut à pariter incerti magistri pendere opinione. Huic malo auxilium inuentum per artis legitimum systema arbitror. Est & hoc inde compendium, quòd manifesta sint facta ea, quæ in paucorum antè notitia & potestate latitabant. Non cogaris inquirere, & redimere arcana ab impostoribus, non magna vi aut inuilitè, aut vmbrailem copiosamq; schedulam ab imperitis impetrare, non sollicitè rogare, non omnes Deos Deasq; de non manifestando adiurare, omnia patebunt tibi ipsi. Cum item impostor Paracelsicus gloriatus fuerit de magnis arcanis, quintis essentijs, tincturis, lapidibus, extractis, &c. cum tamen præter sterquilinia, & domi coctas recoctasq; in furnulis malè conciliatis

cram-